



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

VIII. Vt laici res ecclesiasticas non usurpent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

VII.

Placuit quoque presbyteros, diaconos, & reliquos clericos, qui ecclesiasticos tenuerint honores, abstinere omnimodis ab uxoribus, vel reliquis mulieribus. Quod si non fecerint, honore simul & officio priuentur, & a propriis episcopis excommunicentur.

VIII.

Inter hæc quoque placuit noxios diuersorum scelerum diuersis sententiis refrenari. Et quia audiimus quosdam laicorum nefario ausu res ecclesiasticas suis usibus applicuisse, & iniusto dominio in suum opus retinuisse, idcirco omnimodis prohibemus, ut nemo laicorum abbatiam monachorum, vel clericorum archidiaconatum, neque præposituram, vel honorem presbyterii, vel sacrificæ, seu magistri scholæ, neque ullos honores ad ius prædictum pertinentes, ausit suis usibus retinere; & si fecerit, excommunicationi subiaceat.

IX.

Præcipimus quoque ut nullus laicorum aliquid suscipere audeat de rebus aut substantiis defunctorum, nisi quantum ipsi defuncti adhibitis idoneis testibus in vita sua ordinauerint; aut si intestati obierint, ad libitum propinquorum heredum dividantur.

X.

Statuimus etiam, ut ecclesiæ ad sedem pertinentes, quæ soluunt tertium, aut paratam, vel Synodum, solito more persoluant episcopis vel clericis. De iis vero ecclesiis, quæ non dant tertium,